

minum potentiam atq; authoritatem con-  
 jecti, pro speratis eventibus prosperis, ca-  
 lamitates gravissimas, & fulminantes mise-  
 rias aspexerint; Quam multi adhibitis eti-  
 am cunctis artibus, exhibitis plebeis ob-  
 sequiis, indignis demissionibus, laboribus  
 indefessis, sumptibus immensis, posthabi-  
 ta omni honestate vitæque integritate, mi-  
 nimè tamen in Primatum gratiam pene-  
 traverint, scopumque optatum neutiquam  
 attigerint. Nec minus animo meo semper  
 obversetur favoris gratiæque terrenæ in-  
 constantia, quâ Mundus (nausea quasi af-  
 fectus & tædio, varietatis item & novitatis  
 amore captus) primo impetu magnoque  
 applausu elatum, mox deicit cum infamia,  
 ducitque pro nihilo, plerumque *Hosianna*  
 præcinit, *Crucifige* concludit; Qua item  
 accidit, ut vix Samsonis viribus compara-  
 ta humana gratia, ex improvise, vel invidi  
 alicuius serpentis sibilo, vel frondis unius  
 (leviusculæ suspicionis) agitatione amit-  
 tatur. Quæ deplorata miseria cum adeò  
 sit certa atque perspecta, quid est cur op-  
 tare tantum, ne dicam sollicitè captare ve-  
 lim humanæ benevolentiae auram, tam citò  
 evane-